

capituli modis quod tunc dithyrambus sacerdotumque anisus hanc eam agit ut in primis  
in oratione suorum ceterorum et hoc ope melius hunc sacerdotumque, manus  
musa hinc genitissimum regalibus variis. sed manuam amissimam velut inchoata  
hunc ad nos. H. 698. q. A. 11. sacerdotumque est tunc natus hunc sacerdotum  
ali genitissimum in usq. Tunc sacerdotumque hunc eum iactu quoque aliquam  
iusti prodidit te sacerdotumque sacerdotumque sacerdotumque sacerdotumque

Cum nuper<sup>1)</sup> de dithyrambo a Melanippide inflexo et variato disputaremus,  
comprehendere conati sumus caetera omnia, quae ad describendam novi carminis  
formam et indolem pertinere viderentur. Invenimus autem propriam recentioris illius  
dithyrambi anabolam antistropharum vicariam, eiusque ope ascitam prooemii in  
summa rerum diversitate devoluti licentiam, orationis deinde relaxatis vinculis dis-  
sectae cumulatisque epithetis in infinitum productae audaciam, tum vocabulorum  
novorum compagem prorsus mirificam, numerorum denique et modorum perpetnam  
quandam variationem. Unus tantummodo tum relinquendus locus erat, qui est de  
scenica actione, eoque nunc placet defungi. Licebit autem paucis. Tale scilicet  
carminum genus, quale modo delineavimus, tam varium, tam omni memoriae ansa de-  
stitutum, nulla quippe mutua orationis portentosis insuper vocibus refertae membro-  
rum singulorum ex se ratione, nulla numerorum ex antistrophis constantia, nulla  
denique modorum ex servato harmoniarum genere perpetuitate decurrentis, non iam,  
ut olim, a choreutis cyclois, liberis quidem hominibus et ingenuis, at arte non per-  
fectis<sup>2)</sup>, sed nomorum instar solis ab artificibus decantari<sup>3)</sup> potuisse, etiamsi non  
disertis verbis traderet Aristoteles<sup>4)</sup>, sponte pateret omnibus. Nunc autem apud  
illum commode haec leguntur: Λιὰ τί οἱ μὲν νόμοι οὐκ ἐν ἀντιστρόφοις ἐποιῶντο, αἱ δὲ ἄλλαι  
φόδαὶ αἱ χορεύαι; ἢ διτὶ οἱ μὲν νόμοι ἀγωνιστῶν ἡσαν, ὁν ἥδη μυεῖσθαι δυναμένων καὶ διατείνεσθαι  
ἡ φόδη ἐγίνετο μαχρὰ καὶ πολυειδῆς; καθάπερ οὖν καὶ τὰ βήματα, καὶ τὰ μέλη τῇ μυήσει ἡχολούθει  
δεῖ ἔτερα γινόμενα. μᾶλλον γάρ τῷ μέλει ἀνάγκη μυεῖσθαι ἢ τοῖς βήμασιν. διδ καὶ οἱ διθύραμψοι,  
ἐπειδὴ μυητικοὶ ἐγένοντο, οὐχέτι ἔχουσιν ἀντιστρόφους, πρότερον δὲ εἰχον. αἴτιον δὲ  
διτὶ τὸ παλαιὸν ἐλεύθεροι ἐχόρευον αὐτοῖς. πολλοὺς οὖν ἀγωνιστικῶς ἄδειν χαλεπὸν ἦν, ὅστε  
ἐναρμόνια μέλη ἐνῆδον. μεταβάλλειν γάρ πολλὰς μεταβολὰς τῷ ἐν λόγῳ ἢ τοῖς πολλοῖς. Hic non  
obscurum est verbis: „οἱ διθύραμψοι, ἐπειδὴ μυητικοὶ ἐγένοντο, οὐχέτι ἔχουσιν ἀντιστρόφους,

<sup>1)</sup> Anno 1848 iterumque a. 1853 Gubena  
Lusatorum eandem, qua nunc utimur, scholis  
publicis proluendi opportunitatem nacti. Utrius-  
que commentationis hic qui nunc prodit libellus  
quasi quidam epilogus haberi vult.

<sup>2)</sup> Cf. BOECKH. dMP. p. 192.

<sup>3)</sup> Sic HYMENAEUM suum in convivio  
recitavit Philoxenus, teste Athenaeo I. p. 6. A.

<sup>4)</sup> Problem. XIX, 15. p. 918 b, 15 sqq.  
ed. Berol.

*πρότερον δὲ εἶχον* non aliud genus dithyramborum significari, quam hoc ipsum, in quo versamur, Melanippideum, quod quidem quo iure τῶν μητρικῶν nomine appellare potuerit Aristoteles, non minus apertum est. Nimirum intellegit philosophus id genus imitationis, quod cum Plato perstringit De Republica III. p. 396 B, tum in Timothei Nauplio festive ridet Dorio apud Athenaeum.<sup>1)</sup> Nam ut taurorum mugitus, fluviorum strepitus, maris fragores, tonitrua, tempestates percipere auribus et imbibere sibi viderentur auditores, nova novissimorum artificum inventa effecisse existimes, quamquam minus quidem verborum, si quid intellego, formas, licet eas et ipsas mirificos clangores edidisse conicias, quam numeri nullo fine oberrantis maximeque musicae vana aurium oblectamenta perpetuis modorum variationibus aucupantis picturam. Nihilominus perduravit chorus, qui, quamvis decrescente adeoque penitus cessante χορηγίᾳ munificentia, ne Theocriti quidem<sup>2)</sup> aetate isti dithyrambo videtur defuisse, quamquam tunc quidem choreutas vix alio putas, quam mimorum et saltatorum<sup>3)</sup>, functos esse munere.

Nova haec dithyrambi recentissimi forma quo maiorem plansum tulisse videatur plebeculae, quam cum ad nova quaevis amplectenda propensam satis constat, tum vario anabolae strepitu mirifice delectatam esse suspicere, eo minus probabatur severis artis iudicibus antiquae comoediae poëtis. Quorum ne Melanippides quidem, licet hunc secundum ea, quae aliis locis<sup>4)</sup> disputavimus, nova libertate parce nec usquam cum ipso elegantiae dispendio usum esse haud inepte statuas, prorsus devitavit reprehensionem. Et Pherecrates quidem quam acerbe Melanippidem obenervatam et emollitam musicam vituperaret, attigi P. I. p. 13 sq. Hic versus ipsi collocentur<sup>5)</sup>:

Λέξω μὲν — Musicae ipsius verba sunt — οὐκ ἄχουσα· σοὶ τε γὰρ κλέψω  
ἔμοι τε λέξαι θυμὸς ἡδονὴν ἔχει.  
Ἐμοὶ γὰρ ἡρῆς τῶν κακῶν Μελανιππίδης,

<sup>1)</sup> VIII. p. 338 A, unde hausit Enstathius Od. p. 1538, 4. Rom. Cf. idem etiam ad Iliad. p. 1290, 40.

<sup>2)</sup> Rem mihi quidem certissimam alio loco adornabo testimoniis. Interim satis habeo lectorum ad meam de dihyramborum graecorum argumentis commentationem Lign. a. 1862. p. VII not. 26. ablegasse.

<sup>3)</sup> De saltatione dithyrambica, quae τυρβασία vocatur, vid. Poll. IV, 16 et Hesych. s. v. τυρβασία coll. M. SCHMIDT. Diatr. p. 240 et SCHNEIDEW. in Nov. Diar. liter. Ienens. a. 1845. p. 1096 b.

<sup>4)</sup> Part. I. p. 15. II. p. 10.

<sup>5)</sup> E Chirone preferuntur a Plutarcho De Mus. cap. 30 = MEINEK. FCG. Vol. II. P. I. p. 326 sq.

ἐν τοῖσι πρῶτος δε λαβὼν ἀνήκε με  
χαλαρωτέραν τ' ἐποίησε χορδᾶς δώδεκα<sup>1)</sup>.

Ob anabolas autem ipsas, inventori pessime cessuras, quippe quae haud dissimiles solutae orationis nimia longitudine taedium et satietatem parerent, irrisit Nostrum Democritus Chius musicus his versibus apud Aristotelem<sup>2)</sup>:

οἱ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων,  
ἡ δὲ μαχρὰ ἀναβολὴ τῷ ποιῆσαντι κακίστη<sup>3)</sup>.

Tolerabilis tamen Melanippidis ratio visa est, comparata cum sectatoribus eius. Quemadmodum enim vulgo evenire videmus, ut novae inventiones, quamvis ingeniosae sint et utiles, si iuscite usurpantur et invita Minerva, ut aiunt, factitantur, in contrarium vertant artiumque damno potius et dedecori, quam flori et ornatui sint: ita nemo admirabitur, quod Melanippidis in dithyrambo novatio, ad vitium prona per se, cum praesertim in ingenia furiosa, quae nullo tanquam freno rationis coērcentur, aut in tennia et ieunda, quae nunquam divino spiritu Musae tetigissent, cecidisset, miscendo omnia et detorquendo a verae artis pristinorumque exemplorum ingenio tantopere degeneravit, ut elegantiae et venustatis vestigia teneret paucissima. Mitto musicae dithyrambo succinentis aut potius praecipientis<sup>4)</sup> corruptores flagellis comicorum vapulantes, quorum ab eodem Pherecrate I. l. disertis verbis notantur **Phrynis, Cinesias, Timotheus**:

Φρῦνις δὲ ἵδιον στρόβιλον ἐμβαλών τινα  
κάμπτων με καὶ στρέψων δλην διέφθορεν,  
ἐν ἐπτὰ χορδᾶς δώδεκ' ἄρμονίας ἔχων.  
ἄλλ' οὖν ἔμοιγε χοῖτος ἦν ἀποχρῶν ἀνήρ.  
εἰ γάρ τι καζήμαρτεν αἴδης ἀνέλαβεν.  
Κινησίας δέ μ' ὁ κατάρατος Αἰτιός  
ἔξαρμονίους καμπάς ποιῶν ἐν ταῖς στροφαῖς

<sup>1)</sup> De duodecim nervorum numero a Melanippide temptato, priusquam Timothei opera undecim chordarum lyra inveniretur, dubitandum non esse ostendit R. HANOV. Exercitt. crit. p. 39.

<sup>2)</sup> Rhet. III, 9. p. 1409<sup>b</sup>, 28.

<sup>3)</sup> Occurrit hic versus etiam in Schol. Steph. ad Aristot. Rhet. ap. I. A. CRAMER. Anecd. Gr. Paris. Vol. I. Oxon. 1839. p. 309, 12, sed duobus locis corruptus:

ἡ δὲ μαχρὰ ἀναβολὴ τῷ ποιῆτῇ κακίστῃ.

De synizesi monuimus P. I. p. 8 not. 40. Cae-

terum Democritum formam orationis finxisse apparet ad similitudinem Hesiodeae OO. et DD. 265 sqq.:

οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων,  
ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστῃ.  
Priorem quidem versum, leviter immutatum, sed maioris antiquitatis specie insignem, sic profert Plutarchus De sera num. vind. 9. Mor. I. p. 670 a, 12 ed. F. DUEBN.:  
δε δὲ ἄλλῳ κακὰ τεύχει, ἐφ κακὸν ἥπατι τεύχει.

<sup>4)</sup> Part. I. p. 14. sqq.

ἀπολώλει<sup>7</sup> οὗτως, ὥστε τῆς ποίησεως  
τῶν διθύραμβων, καθάπερ ἐν ταῖς δοπίαις,  
ἀριστέρᾳ αὐτοῦ φαινεται τὰ δεξιά.  
ἄλλ' οὖν ἀνεκτος χούτος ἡν δρως ἐμοι.  
οὐδὲ Τιμόθεος μ', ὁ φιλάτη, κατοράρυχεν  
καὶ διατέννατ<sup>8</sup> αἴσχιστα.

Hunc enim locum alii ante me ita expediverunt, ut non opus sit nostra interpretatione<sup>9</sup>. Ad poësim dithyrambicam ipsam progredior, quae cum, in tanta musicae labie et imminentे præterea rerum Graecarum ruina, intacta manere non posset, comicis poëtis, in primis autem acerrimo antiquae disciplinae vindici Aristophani, insectandi copiam fecit largissimam. Ipsum statim anabolarum initium Bacchi compellationibus ad nauseam usque decantatis refertum iure displicuit eleganti iudicio ingeniosissimi poëtae. Et in Nubibus quidem<sup>10</sup> theatri risui exposuit usitatissimam illam exordiorum formulam: ἀμφὶ μοι, ἄναξ, ἀμφὶ μοι, ἄναξ, unde et dithyramborum artifices ἀμφιάνακτας denominatos et novum verbum ἀμφιανακτίζειν per ludum iocumque deflexum esse animadvertis Scholiasta<sup>11</sup>. Simili ludendi consilio in Ranis<sup>12</sup> mystarum chorū versiculo:

Ἴαχχ' ὁ Ίαχχε

eoque ter quaterve repetito fecit utentem. Quamquam in hoc alia accedit ratio. Iacchum scilicet, non Bacchum in dithyrambis suis appellare solebat omnium ille religionum contemptor Diagoras ὁ ἀθεος<sup>13</sup>), ut non minus mysticam Eleusiniorum disciplinam<sup>14</sup>, quam vulgarem Dionysi cultum longe a se spernere videretur<sup>15</sup>. Huius

<sup>1)</sup> Vid. MEINEK. I. I. et cf. M. SCHMIDT.

Diatr. p. 255 sqq., qui, si dicendi genus neglexeris dissolutum potius, quam compositum, et dithyrambi ipsum haud dissimile, cum cætera non imperite administrasse, tum comicorum versus de musicae corruptione expostulantum non omnes quidem, at potissimos diligenter collegisse dicendus est.

<sup>2)</sup> V. 595.

<sup>3)</sup> Ad Nubb. I. I. p. 110, a, 29 ed. Paris.: μημεῖται δὲ τῶν διθύραμβων τὰ προοίμια. συνεχῶς γάρ χρῶνται ταύτῃ τῇ λέξει. διὸ καὶ ἀμφιάνακτας αὐτοὺς ἔκδιον... καὶ τὸ προοϊμάζεσθαι δὲ ἀμφιανακτίζειν ἔλεγον. Scholiastam, ut solet, exscripsit Suidas s. v. ἀμφιανακτίζειν.

<sup>4)</sup> V. 16. — vv. 316. 324. 325. 341.

<sup>5)</sup> Scholiasta ad Ranas v. 320. p. 284 b, qui locus unus est e fontibus Suidae s. v. Ίαχχος δρως, διθύραμβοις ὁ Διαγόρας ποιητής, συνεχῶς Ίαχχε, Ίαχχε ἄδων. Quae sequuntur ἡ κωμικὸς διθύραμβικὰ τουτέστι Διονυσιακὰ δράματα ποιῶν ab insipienti aliquo librario assuta videntur. Vid. SCHNEIDEW. in Nov. Diar. lit. Ieœens. a. 1845. p. 1097b.

<sup>6)</sup> Eleusiniorum deum Iacchum, non Bacchum vocatum esse docet G. H. BODIUS Orph. p. 165—167.

<sup>7)</sup> Vid. Aristarchus ap. Schol. Aristoph. Ran. I. I. item Craterus ap. eundem I. I. et ad

igitur simul et fastum et impietatem notavit Aristophanes, ut in Ranis l. l., ita in **Avibus**<sup>1)</sup> et **Nubibus**<sup>2)</sup>. Atque huiusmodi profecto exclamations in ipso potissimum anabolarum limine collocatas spectat Scholiasta **Pindaricus**<sup>3)</sup>, cum ἀναβολὰς exponit προαγαφωνήσεις. Universum autem anabolarum institutum comicus insectatur compluribus locis, quorum ad **Ionem** eiusque imitatores pertinet, qui occurrit in **Pace**:<sup>4)</sup>

ἔνιελέγοντ' ἀναβολὰς ποτώμενοι

τὰς ἐνδιαεριανερινηχέτους τινάς.

Nimirum non solum monstruosa verborum figmenta, quibus cum universi istorum temporum dithyrambi, tum anabolae abundasse videntur, voce ἐνδιαεριανερινηχέτους ad similitudinem eorum lepide composita carpit poëta, sed etiam ipsa tangit ab argumento carminis digredi solita et ex auris petita horum tamquam in nubibus nebulisque pendentium (*μετεώρων ἀνθρῶν*) poëtarum prooemia<sup>5)</sup>. Id etiam apertius fit alio quodam loco<sup>6)</sup>, quo deliram audaciam Cinesiae, nisu Daedaleo novam per aëra viam carpere indeque exordia auris vibrata et nivibus iactata captare cupientis, ridicula horum versum gravitate degustandam propinat:

ὅπλοι σοῦ πτερωθεὶς βούλομαι μετάρσιος

ἀναπτόμενος ἐκ τῶν νεφελῶν κανάς λαβεῖν

ἀεροδονήτους καὶ νεφοβόλους ἀναβολὰς.

Neque aliorum pertinet, quod poëtas dithyrambicos appellat *μετεωροφένακας*<sup>7)</sup>, h. e. homines in summa inertia sua pastos egregie et saginatos a **Nubibus**, gratis quippe pro singulari merito, quod ad celebrandas laudes ipsarum se totos composuerint:

κυκλίων τε χορῶν ἀσματοζόπτας, ἄνδρας μετεωροφένακας,

οὐδὲν δρῶντας βόσκουσ' ἀργούς, δὲ ταύτας μουσοποιοῦσιν.

Quae vero deinde subicit:

ταῦτ' ἄρ' ἐποίουν δῆρῶν Νεφελῶν στρεπταιγλῶν δάιον ὄρμα,

πλοκάμους ἔκαπογκεφάλα Τυφῶ, πρηματινόσας τε θυέλλας,

εἰτ' ἀερίους διερούς γαμφόδες οἰωνούς, δερονηχεῖς,

δημόρους δὲ ὑδάτων δροσερῶν Νεφελῶν.

ea plena sunt aculeorum. Dum enim comicus dithyrambicum in dicendo pompam atque magnificentiam aemulari videtur, simul et argumentorum levitatem tanquam

Avv. 1073. p. 234b, 14 = Suid. s. vv. Διαγόρας  
et Ιαζήσ.

<sup>1)</sup> V. 1072.

<sup>2)</sup> V. 830. coll. Schol. p. 117b, 45.

<sup>3)</sup> Ad Pyth. I, 7. p. 301 ed. A. BOECKH.

Cf. Part. II, p. 2.

<sup>4)</sup> V. 832 sq.

<sup>5)</sup> Schol. Aristoph. Pac. 831 et 835, p. 196 b, 26 sqq. 37 sqq. Utrumque locum hinc inde reflectum in scrinia sua transtulit Suidas s. v. *διθυραμβοδιδάσκαλοι*.

<sup>6)</sup> Avv. v. 1383.

<sup>7)</sup> Nubb. v. 333.

inter terram coelumque suspensorum, et epithetorum eorumque filium et otiosorum abundantiam, et vero verborum fabricam ab omni arte abhorrentem sermonis facetiis traducit incundissimis. Atque hoc quidem censurae genere, in Nubibus acto de dithyramborum artificibus, pariter atque illo, quod de tribus tragoediae Graecae principibus factitatum in Ranis memineris, nescio anullo unquam tempore inventum sit ingeniosius. In vocabulorum autem portentis ut paullisper subsistam, dithyrambi ea propria fuisse Plato quoque, antiquae et ipse disciplinae auctor, significat in Cratylo<sup>1)</sup> οὐτὶ δὲ σέλας νέον τε καὶ ἔνον ἔχει ἀετόν, σέλαινονεοδεῖα μὲν δικαιότατη τὸν δυομάτων καλοῖτο, ad quae Hermogenes respondet: διθυραμβῶδες γε τοῦτο τοῦνομα. Idem inanes verborum tinnitus, sophistis cum dithyramborum oratione communes expludit in Phaedro<sup>2)</sup>, cuius loci sententiam inscitius detortam iniuria insectatur Dionysius<sup>3)</sup>. Sed hoc quidem in transcurso. Ad comicos redeo, quorum praeter Aristophanem alii quoque extiterunt, iisque antiquae non magis, quam mediae comoediae poëtae, qui dithyramborum auctores ob artis lyricae depravationem salse acerbeque dictis persequerentur. Hos tamen satis habebo paucis perstrinxisse, siquidem plerique in singulis dithyrambicorum vocibus aut a vulgari significatione deflexis aut prodigialiter conglutinatis haeserunt notandis, non universam attigerunt sentiendi scribendique rationem. Sic Philoxenus, quod epitheton vini ἀρχεστήνιον pro appellatione vini usurpavit, censuram expertus est acerbissimam Antiphonis in Traumata<sup>4)</sup>. Theognetus autem in Phasmate sive Philargyro<sup>5)</sup> eiusdem Philoxeni versum ex Cyclope

οἴφει μὲν δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν,

qui in proverbium abiit<sup>6)</sup>, sic inflexit:

οἴφει μὲν δαίμων φιλοσόφῳ συνφύκεσεν.

Timotheum porro, Nestoris poculum Ἀρεος φιλῆν dicentem, Antiphanes iudit in Cae-neo<sup>7)</sup>, eudemque, quod ἐν πυρικτίουσι γάς, edidit, cum χύτραν (ollam) sine dubio dicere vellet, castigat Anaxandrides in Aeschra<sup>8)</sup>. Denique cum Teleste de verbi ἄχατος pro φιλῇ positi usu expostulat Theopompus in Althaea<sup>9)</sup>. Quid? quod nonnunquam

<sup>1)</sup> P. 409. C.

<sup>2)</sup> P. 238. D.

<sup>3)</sup> Epist. ad Cn. Pomp. vol. VI. p. 763 sq.  
Reisk.

<sup>4)</sup> Ap. Athen. X. p. 446 A. = MEINEK.  
FCG. III. p. 119 sq.

<sup>5)</sup> Ap. Athen. III. p. 104 B. = MEINEK.  
Vol. IV. p. 549.

<sup>6)</sup> Zenob. V, 45. Diog. VII, 19. Apostol.  
XIV, 24. Arsen. p. 379.

<sup>7)</sup> Ap. Athen. X. p. 433 C. = MEINEK.  
vol. III. p. 58.

<sup>8)</sup> Ap. Athen. X. p. 455 F. = MEINEK.  
vol. III. p. 163. Πυρικτίουσι pro eo, quod est in codicibus, πυρικτύποισι dedit MEINEKIUS.

<sup>9)</sup> Ap. Athen. XI. p. 501 F. = MEINEK.  
vol. II. p. 793. Cf. idem in HCCG. p. 285  
sqq., ubi mediae comoediae hoc proprium et  
peculiare fuisse ostendit, ut comici illius aetatis  
aliorum poëtarum inepte minusque concinne dicta

ithyramborum artifices ipsi inter se calumniati insectatique videntur. Certe Telestes Selinuntius in Argo dithyrambo adversarius extitisse perhibetur Melanippidi tibiarum in Marsya contemptori<sup>9</sup>. Neque disparis generis fuisse videntur Lasi Hermonensis λόγοι ἐριστικοί, a Suida<sup>10</sup> memorati, qui beatam coniectandi materiam præbuerunt viris doctis<sup>11</sup>. Sed haec hactenus: verbum non amplius addam epilogi huic nostrae de anabola *commentationis*<sup>12</sup>.

Ad fragmenta ipsa accedo Melanippidea. Attribuit autem Melio poëtae quatuor potissimum poëmatum genera Suidas s. v. Μελανιππίδης<sup>13</sup> διθυράμβων βιβλία πλεῖστα, ποιήματα ἐπεικά, ἐπιγράμματα, ἐλέγους. Quod deinceps addit καὶ ἄλλα πλεῖστα scripsisse Melanippidem, id non nimis urgendum arbitror<sup>14</sup>. Sed etiam resectis istis, quae qualia fuerint, prorsus nescias, admirandum occurrit hominis multarum artium scientia imbuti ingenium<sup>15</sup>, qui, excepto scenico, in omnibus fere poëseos generibus elaboravit, ut vel hinc poëtam nostrum supra mediocritatem enisum esse iure augurere. Sed invidit landi eius aetas, quae e tanta poëmatum omni in genere varietate nihil ad nos permanare pateretur praeter dithyrambos, quamquam ne hos quidem integros, sed mutilos et laceratos.

Afferuntur autem ex hoc numero disertis veterum verbis: ΔΑΝΑΙΔΕΣ<sup>16</sup>, ΜΑΡΣΥΑΣ<sup>17</sup>, ΠΕΡΣΕΦΟΝΗ<sup>18</sup>), quos dithyramborum indices esse dubitari non potest propterea, quod qui inde laudantur versus, lyrici sunt, non heroici generis, fabulas autem scenicas Melanippides nullas scripsisse perhibetur, quarum praeterea, si quae

quodam quasi παρῳδίας lusu riderent eamque rationem, licet mediae poëtis in primis frequentatam, tamen ne antiquis quidem comicis incognitam, plurimis illustrat exemplis.

<sup>9</sup>) Athen. XIV. p. 616. E. F.—FLG. ed. TH. BERGK. 848. 864 ed. I.

<sup>10</sup>) S. v. Λᾶσος.

<sup>11</sup>) Cf. F. G. SCHNEIDEW. de Laso comment. indici Schol. Gotting. a. 1842/43 præmissa p. 19. not.

<sup>12</sup>) Gub. Lus. editae a. 1853.

<sup>13</sup>) Suidas duobus quidem locis de Melanippide narrat, altero de avo, altero de nepote, sed res utriusque non satis distinxit. Qua de re cum disputaremus Part. I. p. 3. sqq., simul etiam illud nobis demonstrasse videmur, ad unum Melanippidem natu minorem referendum

esse, quidquid traditum esset de eius nominis poëta.

<sup>14</sup>) Non magnam vim tribuendam esse illi dicendi formulae in deliciis habitae a lexicographo, etiam alio quodam exemplo docet MELENEKIUS HCCG. p. 166 not. 93.

<sup>15</sup>) Feracem Melanippidis Musam spectat etiam Meleager Gadarenus in Florilegii proœmio v. 7. Quem locum Part. II. p. 13 tractavimus: unde qui arripuit I. A. HARTUNGII LG. II. p. 279, non inspecto Meleagri loco in errorem induci se passus est.

<sup>16</sup>) Athen. XIV. p. 651 F. sq. = Fr. 1 ap BERGK.

<sup>17</sup>) Idem XIV. p. 616 E = Fr. 2.

<sup>18</sup>) Stob. Eclog. phys. I, 52 = Fr. 3.

fuissent, mentionem facturos fuit Suidas. Ita nihil relinquitur, nisi ut de dithyrambis cogitemus, quorum multos poëtae nostro libros attribuit lexicographus. In inscriptionibus autem ipsis noli haerere, si quidem hoc quoque carminum genus dramatum instar peculiaribus constat insignitum fuisse nominibus<sup>1)</sup>. Praeterea, ut reliquias incerti argumenti<sup>2)</sup> hic omittam, et de Oeneo<sup>3)</sup> et de Lino<sup>4)</sup> et de Achille<sup>5)</sup> fabulas attigisse narratur, has tamen in singulis quibusdam dithyrambis nomina ista prae se ferentibus positas, an per digressionis licentiam aliis carminibus intextas dubites. Sed de hac re alio loco viderimus: illud iam nunc ex universa disputationis nostrae ratione manifestum est, quanto in errore versentur ii, qui fragmenta Melanippideae poëseos aut nonnulla aut omnia pro tragicis venditarunt, veluti I. A. Fabricius<sup>6)</sup>, Burettus<sup>7)</sup>, A. H. L. Heerenius<sup>8)</sup>, C. G. Heyniius<sup>9)</sup>, Fr. Schoellius<sup>10)</sup>, aut pro satyricis, veluti, praeeunte Fr. Snedorfio<sup>11)</sup>, C. A. Boettigerus<sup>12)</sup> et Fr. Th. Welckerus<sup>13)</sup>. Lyrica enim aut, si accuratius

<sup>1)</sup> Constat id quidem hodie sat multis dithyramborum indicibus, sed ad Arionem auctorem eam appellationem referre non licebit cum WELCKERO, in verbo δυομάσαι, quo Herodotum I, 23 secutus utitur Suidas s. v. Μοίων, argutante Addit. ad tril. Aeschyl. p. 232 sq.

<sup>2)</sup> Ap. Clem. Alex. Strom. V. p. 257. SYLB. 716. POTT. — Fr. 6 et ap. Plut. Erot. cap. 15. Morall. II. p. 926<sup>a</sup>, 37 = Fr. 7.

<sup>3)</sup> Ap. Athen. II. p. 35 A. et X. p. 429 C.

<sup>4)</sup> Ap. CRAMER. Anecd. Par. III. p. 289, 3 = Schol. Hom. Ven. Σ, 570. p. 513<sup>a</sup>, 5.

<sup>5)</sup> Cod. Victorianus Schol. in Iliad. N, 350. p. 367<sup>b</sup>, 18: qui locus deest ap. BERGKIUm in priori quidem editione.

<sup>6)</sup> Bibl. Gr. Vol. II. p. 310 ed. G. Ch. Harles.

<sup>7)</sup> Dans les Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions Vol. XIII. p. 229.

<sup>8)</sup> Ad Stob. Eclog. phys. I, 52 Part. I. Tom. 2. p. 1006. not. d.

<sup>9)</sup> Ad Apollodori fragmenta Vol. I. p. 391. sq. not. e.

<sup>10)</sup> In HLG. vert. FR. I. SCHWARZE Vol. I. p. 263. Quid? quod ab HEERENII, HEYNII, SCHOELLII errore, qui PERSEPHONEN tragediae nescio cuius inscriptionem fuisse existimant, ne SCHMIDTIUS quidem alienus est, Diatr. p. 81. Vid. Prol. nostr. Gubenens. P. I. p. 5.

<sup>11)</sup> De Hymnis veterum Graecorum. Hafn. et Lips. a. 1786. p. 11: „Melanippides . . . etiam dramata satyrica scripsisse fertur.“

<sup>12)</sup> In C. M. WIELAND. Mus. Att. Vol. I. pp. 310. 354 = Script. minor. edid. I. SILLIG. Vol. I. pp. 17. 49.

<sup>13)</sup> Addit. p. 215 not. 105: „Einsichtsvoll hat Boettiger im Attischen Museum I. 354 bemerk't, dass Marsyas nur durch das Attische Satyrspiel in einen Satyr umgewandelt worden sei, wie er denn namentlich bei Melanippides dem Satyrdichter als θῆρα vorkomme.“ Exscripti WELCKERI notulam, ut simul obiter errorem castigem, quem miror e BOETTIGERI observatione in viri summi calamum transire potuisse. Nam qui Marsyam θῆρα aut potius φῆρα appellat, is non Melanippides est, sed Teleses Selinuntius ap. Athen. XIV. p. 616 F.

rimere, dithyrambica esse ad unum omnia, nunc desinetur dubitari<sup>1)</sup>. Sed videamus singula et primum quidem

### DANAIDES.

Dithyrambi eius et inscriptionem et versus aliquot servavit Athenaeus XIV. p. 651 F.: *Μελανιππίδης δὲ ὁ Μέλιος ἐν ταῖς ΔΑΝΑΙΣΙ φοίνικας τὸν χαρπὸν οὕτως ὀνομάζει, λόγον ποιούμενος περὶ αὐτῶν τῶν Δαναΐδων.*

οὐ γὰρ ἀνθρώπων φύρεν μορφᾶν εἶδος,  
οὐδὲ τὰν φύτλαν γυναικείαν ἔχουν,  
ἀλλ᾽ ἐν ἀρμάτεσσι διφρούρχοις ἐγυμνάζοντ' ἀν'  
αἴθεα πόλλ' ἄτε θῆρες φρένα τερπόμεναι,  
5. ἵερόδαχρον λίθινον εὑώδεις τε φοίνικας κασίαν τε πατεῦσαι,  
τέρενα Σύρια σπέρματα.

Ita scilicet refingendum putamus locum, turpissimis librariorum vitiis deformatum, cui pristinum nitorem reddere certatim conati sunt viri docti plorimi, cum Deipnosophistae editores tantum non omnes — solus G. Dindorfius vulgatam scripturam ipsam excudendam curavit Tom. III. p. 1451 — tum Raph. Fiorillo Observatt. in Athen. p. 111 sq., Ric. Porsonus Adverss. p. 39, Fr. Iacobsius Addit. Animadvv. in Athen. Deipn. p. 343, I. Fr. Boissonadus in Poëtt. Gr. Syll. Tom. XV. pp. 47, 192, Ad. Emperius in Diar. Antiq. Darmstad. a. 1835. p. 9. sqq., A. Meinekius CGF. Vol. III. p. 575 iterumque in sua Athenaei editione Vol. III. p. 176, Th. Bergkius PLG. Fr. I. p. 847. sq. ed. pr., Maur. Schmidtius Diatr. p. 78. sq., I. A. Hartungius, LG. Vol. VI. p. 277. Attigerunt nonnulla — ut omittam I. B. Villebrunium, nugas quasvis venditantem — etiam Dobraeus Advv. I, 349 et C. A. Lobeckius Parall. I, 194. 253. Quorum curae, in restituendo textu magna ex parte felicissimae, si non amplum, aliquem tamen fortasse de poëta bene merendi locum nobis quoque videntur reliquisse.

[τῶν Δαναΐδων.] Legebatur τῶν γὰρ ἀιδῶν, eaque verba in versus irrepserant Melanippidis. Cui dempta et correcta primus Athenaeo restituit Boissonadus, τῶν γὰρ ἀιδῶν voluerat Is. Casaubonus, τῶν γραιδῶν Fiorillo, τῶν γὰρ Ναΐδων Iacobsius.

1. οὐ γὰρ ἀνθρώπων.] Sic codices, quorum lectionem verissimam nonnulli coruperunt conjecturis. οὐκ ἀνθρωπίνων priori suspicioni inhaerens frusta proposuerat

<sup>1)</sup> Id primus intellexit et demonstravit AD EMPERIUS in Diar. Zimmerm. Schol. a. 1835. p 7, cuius sententiam sequuntur novissimi literarum Graecarum enarratores, H. BODIUS II, 2. p. 292 HERM. ULRICIUS II. p. 592.

OD. MUELLERUS II. p. 289. GOD. BERNHARDIUS II. p. 446. ed pr. Neque discedit qui fragmenta congessit TH. BERGKIUS p. 847 sqq. ed. pr.

Iacobsius. Neque meliori successu ὡς παρθένων temptaverat Emperius, quam lectio-  
nem a sententia loci prorsus alienam miror assensu comprobare potuisse Schneide-  
winum l. l. p. 1101<sup>a</sup> et Hartungium.

[μορφᾶν εἰδος]. Libb. μορφὰν ἐνεῖδος, unde μορφὰν ἐνιδεῖν, praeeunte Schweighaeu-  
sero, effecit Boissonadus, (φορεῖν) μορφὰν ἀνεῖδες Hartungius. Emendavit Iacobsius,  
nisi quod metro parum consulens μορφᾶν scripsit, quod in μορφᾶν recte distraxit  
Emperius.

2. φύτλαν αὐτὰν vulgo, quam librorum lectionem tueruntur Boissonadus et in  
Athenaei editione Meinekius, αὐδὰν coniecit Casaubonus, probante Emperio, αὐτὰν  
Schweighaeuserus, ἔργατα Iacobsius, δίαιταν, βιοτὰν vel tale quid ad sensus inte-  
gritatem desideravit Boissonadus, δίαιταν receperunt Bergkius et Hartungius. Ve-  
rum Melanippides sine dubio scripserat φύτλαν, quod nec a codicem vestigiis dis-  
cedit longius et solum sententiae consentaneum est. Sic enim et singula recte  
procedunt, et forma atque natura, virorum formosa species atque muliebre ingenium,  
sibi invicem respondent elegantissime. Confirmant emendationem nostram proxima,  
quae non in voce, sed in moribus Danaidum versantur describendis.

[γυνακεῖαν ἔχον]. E librorum lectione γυνακεῖαν ἔχον literis aliter iunctis γυνακὶ<sup>η</sup>  
ἀνεγον qui eruit Boissonadus, vereor ne duriusculam effecerit orationem. γυνακεῖη ἄνεγον  
scripsit Iacobsius, γυνακεῖαν ἔχον, Casaubono auctore, reliqui; solus Hartungius τὰ  
γυνακεῖαν ἔχειν, rationi semel adoptatae convenienter.

3. 4. ἀν' αἴθσα]. Libri ἀνενη λασσέα, quae verba prodigiosa variam criticis ex-  
ercendi ingenii materiam obtulerunt. Et Casaubonus quidem ἀν' ὅλας ἴδας τε, οἷα  
excogitavit, ἀετὸν δὲ Fiorillo, alii aliud non magis probabiliter. ἀν' ἀνήλια ἄλσεα  
scripsit Iacobsius, non satis respectis literarum elementis, ἀν' εὐγέλια ἄλσεα Boissona-  
dus et Dobraeus, quam conjectoram et ipsa epitheti discrepantia expludit et ratio  
respnuit metri trochaici, ut mittam εὐγέλιος pariter atque ἀνήλιος aliena videri a dialecto  
dōrica, quam toto carmine perfinere consentaneum est. Meinekius quoque scrip-  
tura ἀν' εῦδοι ἄλσεα proposita, quam amplexi sunt Schmidtius et Hartungius, vide, ne  
δειγμῶν invitus auctor sit. Quippe umbrosa solent nēmora esse et frigidula. Ne-  
que Emperii commentum ἀν' εὖ, ἢ δι' ἄλσεα, licet contracta tantummodo nominis forma  
in textum receperit Bergkius, magnam ab elegantia habet commendationem, cum ob  
aliam causam, dē qua statim dicemus, tum ob languorem particulae εὖ. Mihi cer-  
tum librorum lectionem ortam esse ex glossemate. Scripserat Melanippides ἀν' αἴθσα,  
quae vox et sententiae egregie patrocinatur, nec parum convenit Melanippidi, quem  
originationum captatorem fragmenta paullo ampliora produnt omnia. Sic Fragm. 3.

ed. Bergk. in verbo *Ἄγρων*, Fr. 5. in *Olympos* nomine etymologicum in modum derivando sibi placuit. Rem uberior tractavi in Comment. Gubenens. Part. II. p. 10 sqq. not. 63. Hoc autem loco *αἴθεα* voce simul voluit *Αἰθίσπων* et *Αἰθιοπλας*<sup>1)</sup> cogitationem excitari audientibus, eius tamen insolentia verbi in Athenaeo peperit interpretamentum *εὐήλια*. Id primum quidem superscriptum, ut solent eiusmodi glossemata, potius *εὐήλια*

stremo textum ipsum invasit hac figura: *ἀν' αἴθεα = ἀν' εὐήλι' αἴθεα*, unde, progre-  
diente corruptela, natum est monstrum illud *ἄνευη λιασδέα*. De verbo *αἴθος* vid.  
Zonaras I, 87: *αἴθος, τὸ καῦμα, φλογώμας*. Euripides quidem verbo usus est masculino  
genere, nisi duobus, quibus occurrit, locis — Suppl. 210. ed. Ad. Kirchhoff. *αἴθον*  
*ἐξαιμνασθαι θεοῦ*, et Rhes. 983: *αἴθον ἐμβαλεῖν* — rescribendum est *αἴθος*, uti Supplicum  
saltem versum emendavit Caspar Valckenarius ad Phoen. 786. p. 292.

4. πόλλοι ἄτε θῆρες πολλάκι θῆρες libri. Alteri quidem voci sibilantem literam addiderunt Meinekius et Bergkius, metri, ut conicias, adiuvandi caussa, cuius tamen etiam in nostro elementorum ordine constat ratio, alteram autem Porsoni, Iacobsii, Boissonadi exemplo in *θῆρας* deflexerunt. Re tamen accuratius expensa non sigma solum prioris verbi, sed verbum ipsum rectius abesse putaveris, quippe quo inscite interiecto et debilitari sententiam et orationem hiulcam fieri appareat. Altera autem emendatio habet illa quidem, quo commendetur. Erigit orationem lapsam prope-  
modum aut certe labantem, nec a relictis literarum vestigiis declinat longius. Nam  
**A** et **E** cum aliis codicum locis confusa constat, tum in his ipsis, in quibus haem-  
remus, vocibus inter se commutata demonstrat God. Hermannus ad Aesch. Suppl.  
968. Tom. II. p. 50. Sed videamus sententiam. Proponit Danaides conjectura ista  
venatrices. Quae res etsi per se spectata nihil offert, quod offendat, tamen cum  
iis, quae et praecedunt et subsequuntur, non magis coēat, quam pictoris Horatiani  
caput humanum cum equinis cervicibus. Quis enim patietur viragines in venatu  
curribus vehentes et per thura atque balsama volitantes? Nihilominus non desunt,  
qui inaudita quaevis concoquentes et ad quorumlibet monstrorum occursum intrepidi  
istas quoque venatrices immobili intueantur vultu. Qui solus quantopere laboraret  
locus intellexit Emperius, auxilium tamen ei applicavit parum idoneum. Nam dum  
et duplex  $\chi$ , alterum ante δι' ἄλσεα, alterum ante *ἱερόδαχρουν* inculcandum censem, et  
*πατεῦσαι* in *ματεῦσαι* abire iubet, facit ut medicinam afferre videatur morbo ipso peio-  
rem. Nam praeterquam quod commentum illud, quantumvis placuerit Bergkio, so-

<sup>1)</sup> Aesch. Suppl. 272. sq., ubi rex Argivo-  
rum Danaides animo informat

*ζθόνα*  
παρ *Αἰθίοφιν* δασυγειτονονεύνας.

phista, quam poëta dignius est, ne tollit quidem omnes, quas supra significavi, ineptias, sed novas etiam addit. Ne plura: mihi quidem eiusmodi inventis non opus esse videtur, modo pro πολλάκι levī mutatione rescribas πόλλ' ἄτε, altero ad ἀν' αἰθέα „per magnos calores“, altero, secundum Sophocleum illud in Aiace v. 168 (cf. etiam Pind. Ol. I, 2.): παταγῶσιν ἄτε πτηνῶν ἀγέλαι, ad θῆρες relato. Nam θῆρες vocabulum omnino incorruptum esse censeo, et ab ipsa Melanippidis manu profectum, quod qui tollit de carmine, vereor, ut perspexerit mentem poëtae. Is enim cum antea descripsisset Danaides et hominum et mulierum dissimiles, utrique dissimilitudini similitudinem aliquam opponeret necesse erat. Itaque ἀνθρώποις et γυναιξὶν ex adverso collocavit θῆρας, imagine illa et cultus asperitatem et morum ferociam Danaidum propriam simul complexus. Atque θῆρες servandum esse intellexit etiam vir magus imprimis Is. Casaubonus.

5. [ἱερόδαχρον] ιερόδαχρον codd., ιερόδαχρον Casaubonus, amplectentibus praeter Fiorillonem, Iacobsium, Boissonadum caeteris. Sed priorem formam et metrum sustinet, nec fortasse repudiat grammatica. Atque tuetur librorum lectionem Lobeckius Paralipp. P. I. p. 253, neque eam ferri posse negat Meinekius FCG. I. 1. not. Verbi novitatem attigi Part. II. p. 10. Praetermisserunt vocem Thesauri olim ab Henrico Stephano conditi editores novissimi.

Ibid. λίβανον — κασίαν.] Thuri et casiae myrrhas addere solebant, qui Veneri suffimenta offerebant. Vid. Philostr. Imag. II, 1 coll. Welckero in censura Sapphus Neviana Annall. Phil. et Paed. inserta, Tom. VI. Fasc. 4. a. 1828. p. 426. Huius igitur cultus Venerei contemptrices repraesentare Danaides voluit poëta.

Ibid. πατεῦσαι] codices fluctuant inter πατεῦσαι et κατεῦσαι. Unde κατεῦσαι excuspsit Casaubonus, καταπατεῦσαι Fiorillo, sed πατεῦσαι recte tuetur Iacobsius, quem sequuntur caeteri. Solus ex Emperii conjectura ματεῦσαι recepit Bergkis, quippe perversam, cui semel indulserat, interpretandi rationem constanter sectatus.

6. τέρενα Σύρια σπέρματα] τέρενα Συρίας τέρματα codd. Unde τέρενά τε Συρίας μωρώματα effecit Casaubonus, τέρενα Συρίας γεννάματα Iacobsius, τέρενα Συρίας σπέρματα Boissonandus et Emperius, Συρίας τέρενα φέρματα Lobeckius Paralipp. P. I. p. 194, commendante Schneidewino in censura l. l. 1101<sup>a</sup>, τέρενα Σύρια σπέρματα primus Fiorillo, deinde Meinekius, FCG. I. 1., Bergkis, Hartungius. Idem tamen Meinekius in Athenaeo στέρματα exhibuit, operarum errore manifesto. Caeterum de Syriae odoribus, qui a poëta nominantur, cf. Mnesimachus comicus ἐν Ιπποτρόφῳ ap. Athen. IX. p. 403 D = Mein. FCG. III. p. 570 et Euripides Bacch. 142; Συρίας δὲ ὡς λιβάνου καπνίς.

Digitized by Google

Describuntur igitur a Melanippide sic restituto Danaides tanquam bellicosae quaedam viragines, quae non hominum gestantes speciem, non mulierum referentes indolem, Amazonum<sup>1)</sup> instar virilia tractent curribusque et equestribus exercitatio-nibus in summo solis aestu delectentur, num tenera Syriae balsama ferarum more calcant potius, quam virginum ritu in Veneris ara incendant, penitus securae.

Sufficientia ista et ad constituendum textum, quem vocant, et ad explicandam loci sententiam. In metrorum deinde structura observanda est perpetuatio trochaeorum etiam atque etiam redeuntium. Qui quidem numeri ut molle quiddam habent et languidum<sup>2)</sup>, ita non sine arte factum est, ut immixtis dactylis vigorem quandam et alacritatem nanciserentur. Soli qui sub finem fragmenti occurunt soluti ex trochaeis tribachi vestigia produnt eius levitatis atque tenuitatis, quam ista quidem aetate rhythmicae arti dithyrambicorum poëtarum propriam et peculiarem fuisse ostendit Boeckhius<sup>3)</sup>. Non Phrygii autem, quales postulabat lex dithyrambi, sed Dorii numeri sunt<sup>4)</sup>, ad Phrygiorum tamen indolem paullatim delabentes, qua varietate artifices illos in primis delectatos esse alio loco docui<sup>5)</sup>. Offendit deinde et epithetorum congeries, nequaquam tamen ultra venustatis limites accumulata, et longus verborum in enumerandis Syriae balsamis nullo prope fine decurrentium anfractus, per copulae et appositionis vincula cohaerens<sup>6)</sup> laxius. In ipso autem verborum delectu laudes modestiam et elegantiam, cuius leges ne τερόδαχρον quidem, quamquam illud paullo audacius fictum, videtur violare.

Sequitur, ut de fabula eiusque fonte quaeramus et de argumenti tractatione, si quid probabiliter colligi queat, exponamus.

Extabat olim carmen ignoti quidem, sed bene antiqui auctoris cyclicum, **DANAIDIS**<sup>7)</sup> sive **DANAIDUM**<sup>8)</sup> nomine insignitam, e quo plerasque omnes, quae de Danaidibus circumferebantur, fabulas tanquam genuino e fonte fluxisse existimo. Nunc quidem rara eius reicta memoria est eaque duobus tribusve nixa testimoniis, ut de argumento carminis argumentique tractandi ratione nihil constet praeterea,

<sup>1)</sup> Vid. Aesch. Suppl. 274, ubi Danaides cum Amazonibus expressis verbis comparantur.

<sup>2)</sup> Vid. BOECKH. dMP. p. 200 sq.

<sup>3)</sup> dMP. p. 273 sq. et Comm. Gub. Part. II. p. 14.

<sup>4)</sup> Vid. Comment. Gub. Part. I. p. 16 coll. comment. Lign. p. V.

<sup>5)</sup> Part. II. p. 17 sq.

<sup>6)</sup> Part. II. p. 4 sq. nott. 22. 24.

<sup>7)</sup> ὁ τὴν ΔΑΝΑΙΔΑ πεποιηκώς Clemens Alex. Strom. IV. p. 224. Sylb = 618 Pott. — Vol II. p. 344, 26, sq. Klotz. totidemque verbis Harpocratio s. v. Αἴτωλονες.

<sup>8)</sup> Tabula gypsea Borgiana ap. WELCK. dCE. I. p. 33. in recensu carminum cyclicorum affert ΔΑΝΑΙΔΑΣ.

nisi quod ex ipso Danaidis sive Danaidum nomine quasi omne quodam augurere, merisque in coniectoris versentur fere omnia, quae ea de re in contrarias partes disputatione Fr. Th. Welekerus<sup>1)</sup> et Guil. Gr. Nitzschius<sup>2)</sup>. Tanta est enim fragmentorum eius poëmatis paucitas, ut ex quinque milibus quingentis versibus, e quibus aliquando constitisse perhibetur<sup>3)</sup>, soli supersint versus duo, e communi horum carminum naufragio erepti beneficio Clementis Alexandrini.<sup>4)</sup> Illi tamen ipsi benigno quodam casu accidit, ut inopiae nostrae succurrant egregie. Sunt autem hi:

καὶ τότε ἀρ' ὥπλιζοντο θωᾶς Δαυαῖο θύγατρες  
πρόσθεν ἐνρρεῖος ποταμοῦ Νείλου ἀνατος.

Rem bellicam hic significari manifestum est ad Nili ripas gestam. Cuius quae occasio fuerit, mythographi aperiunt Apollodorus<sup>5)</sup> et Hyginus<sup>6)</sup>, iam antequam Danaus cum suis ex Africa Argos profugere ab Aegypto cogeretur, inter utrumque fratrem simultates et insidias viguisse memorantes<sup>7)</sup>. Addit ex Aeschyleo, ut opinor, Supplicum prologo Hyginus, Aegyptum filius uxores a fratre poposcisse, nimirum ut, quod non posset armis, nuptiis conquereretur. Cum antem Danaides Aegyptiarum matrimonium piaculi instar perhorrescerent, ut ipsae profitentur apud Aeschylum<sup>8)</sup>,

<sup>1)</sup> dCE. vol. I. p. 305. II. p. 421.

<sup>2)</sup> In libro, cui indicem fecit: „Die Sagenpoësie der Griechen.“ Brunsvig. 1852. p. 21 sq.

<sup>3)</sup> Tabula Borgiana l. l.: ΔΑΝΙΔΑΣ ΕΦ ἐπῶν.

<sup>4)</sup> Locum supra indicavimus p. 13. not. 7.

<sup>5)</sup> Bibl. II, 1, 4. Apollodorum compilavit Scholiasta Homeri Venetus ad Iliad. A 42. p. 6b, 15 sqq.

<sup>6)</sup> Fab. CLXVIII. Ab Hygino non dissentit Servius ad Virg. Aen. X, 497, nisi quod consilio suo convenienter res in Africa gestas resecuit, quarum etiam apud Scholiastam tum Pindari ad Nem. X, 8. 10. p. 501 ed. Boeckh., tum Euripidis ad Orest. 859. Vol. IV. p. 428. sq. ed. A. Matth. desideratur mentio.

<sup>7)</sup> Apollodorus l. l.: γίνονται δὲ ἐξ πολλῶν γυναικῶν Αἰγύπτῳ μὲν παῖδες πεντήκοντα, θυγατέρες δὲ Δαναῆς πεντήκοντα. στασιάσαντων δὲ αὐτῶν περὶ τῆς ἀρχῆς ὅστερον

Δαναὸς τοὺς Αἰγύπτου παῖδας δεδοκώμενοι οὐδετέλειας — ἔφυγε. Hyginus 11: „Danaus Beli filius ex pluribus coniugibus quinquaginta filias habuit, totidemque filios frater Aegyptus, qui Danaum fratrem et filias eius interficere voluit, ut regnum paternum solus obtineret, filiis uxores a fratre poposcit. Danaus re cognita, Minerva adiutrice, ex Africa Argos profugit.“ Solus Scholiastes Euripidis ad Hecub. 869. Vol. IV. p. 201 rem ita narrat, ut initia iniuriarum a Danao orta putes. Οὐ δέ, inquit, Δαναὸς τῷ οὐδελφῷ Αἰγύπτῳ φιλοῦν διὰ τὴν τῶν ἀρσένων κτῆσαν καὶ φορηθεὶς μήπως ὡπ' αὐτοῦ τῆς βασιλείας ἐκβληθῆ, ἀνδρωθέντων τῶν οἵων αὐτοῦ, ἐδίωξεν αὐτὸν εἰς Αἴγυπτον. Attigit Scholiastae dissensum qui universam famam de Danaidibus traditae varietatem expendit GOD. HERMAN-NUS Opusc. II. p. 320. sq.

<sup>8)</sup> Suppl. v. 8 sqq.

αὐτογενεῖ φυξανορίᾳ, τάχισταις γοὶλα αἱ οἰστι μηδ εἴποι, εἰ  
τάμον Αἰγύπτου παιδῶν δασθῆ τ<sup>1)</sup>  
δυνατόζμενα,

fieri non potuisse consentaneum est, quin Danaï filiae et fratres eārum patruelēs  
mutuis patrum inter se odiis discidiisque implicarentur. De his igitur Danaidū  
et Aegyptiadarū certaminib[us] iam ipsa in Libya agitari coeptis intellegendi sunt  
cyclici poëtae arma atque proelia spirantes versus. Neque aliquorsum profecto spe-  
tant armorum exercitationes, quibus fastidiosas coniugii viragines se dedisse scribit  
Melanippides. Sola in hoc offendere possit non Africae, non Nili, sed Syriae in-  
iecta mentio. Sed ne haec quidem quidquam habet difficultatis. Nili enim ostia  
in Syriae propinquitate posita ipsae significant patriae suae sine dubio locupletissi-  
mae testes Danaides Argos adiectae apud Aeschylum, cuius versus in Suppli-  
cum initio collocatos hic ponere placet pro facundissimo utriusque et lyrii et epicī  
poëtae commentario:

Ζεὺς μὲν ἀφίκτωρ ἐπίδοι προφρόνως  
στόλον ἡμέτερον νάϊον ἀρθέντ  
ἀπὸ προστοπίων λεπτοφαμάδων  
Νείλου, δίαν δὲ ἔκλείπουσα  
χθόνα σύγχορτον Συρίᾳ φεύγομεν.<sup>2)</sup>

Quo autem iure Danaidū sedes epicus quidem poëta in Nili ripis, lyricus autem  
in Syria, tragicus denique in regione inter utrumque terminum media figere potuerit,  
ut recte intellegas, tenendum est, amplissimum terrarum tractum apud veteres am-  
plexam esse Syriae appellationem. Nimurū cadebat illa non solum in Syriam  
proprie vocatam, sed simul comprehendebat Phoenicēn totamque maris interni oram  
maritimam a Nili ostiis ad septentriones pertinentem, profecto ut Romani, cum inde  
ab anno 64 Syriam provinciam appellarent, veterem loquendi consuetudinem dici  
queant renovasse.

Aperuimus fundūm fabulae a Melanippide tractatae ipsum cyclicae poëseos  
thesaurū, qui idem universae reliquae Graecorū poëseos fons extitit uberrimus.  
Inde iam multo ante Melanippidem idem argumentū depropserat idque Musae  
tragicae ludo — ut Phrynicum<sup>3)</sup> silentio praeterēam — attemperaverat Aeschylus.

<sup>1)</sup> Qua lege vetitae dicantur Danaides nu-  
bere patruelibus suis, non liquet. Vid. WELCK  
Tril. Aeschyl. p. 392.

<sup>2)</sup> Cf. etiam prologū Archelai Euripideae  
ap. Tiberium περὶ σχημάτων Rhet. Gr. Vol. VIII.  
p. 577. et ap. alios, quos vid. ap. A. NAUCK.  
TGF. p. 340 fr. 230:

Δαναὴς δὲ πεντήκοντα θυγατέρων πατήρ  
Νείλος λιπὼν κάλλιστον ἐκ γαίας ὅδωρ,  
δε ἐκ μελαμβρότου πληροῦται ροὰς  
Αἰθιοπίδος γῆς, ἥντε δὲ ταχῇ χιῶν  
τέθριππ' ἔχοντος ἡλίου κατὰ χθόνα,  
ἔλθων ἐς Ἀργος ὄχιστ' ἵναχος πόλιν.

<sup>3)</sup> Phrynicī DANAIDES memorant Suidas

Is tamen non tam res in Africa a Danaidibus gestas, quam facinora in Graecia perpetrata omnia et singula Atheniensium oculis una argumenti per trilogiam perpetuitate subiecit. Ac primum quidem trilogiae locum quae tenent **Supplices**, in ea versantur deliberatione, num recipienda sint Argis Danaides, cum ex repulsa bellum immineat. Receptis autem ab Argivorum rege puellis adest praeco Aegyptiarum, cui profugas repetituro vim vi repulsum iri respondet. Excepisse Supplices videntur θΑΛΑΜΟΠΟΙΟΙ, cuius memoria fabulae etsi in solum fere titulum est inclusa, argumentum tamen significari putant ab Hygino<sup>1)</sup>: „*Aegyptus ut rescit Danaum profugisse, mittit filios ad persequendum fratrem et eis praecepit, ut aut Danaum interficerent aut ad se non reverterentur. Qui postquam Argos venerunt, oppugnare patrum cooperunt. Danaus ut vidi se eis obsistere non posse, pollicetur eis filias suas uxores, ut pugna absisterent. Impetratas sorores patruelas acceperunt uxores, quae patris iussu viros suos interfecerunt. Sola Hypermnestra Lynceum servavit.*“ Itaque media fabula pugnam nuptias caedem Aegyptiarum comprehendisse putanda est. Absolverunt argumentum **Danaides**, quam fabulam magnificum illud, cuius Pausanias<sup>2)</sup> meminit, de Hypermnestra sororumque caede iudicium, Danao coram Argivorum senatu causam orante, exhibuisse verisimile est<sup>3)</sup>. Has tamen fabulas utrum et ipsas attigerit Melanippides, an in istis rerum de Danaidibus narratarum primitiis acqueverit, quis aut negare audeat aut affirmare? Sed ea de re utrocumque modo statueris, illud certum esse videtur, versus Melanippidis in ipso fere carminis prooemio locum olim suum habuisse. Ita ut existimemus, suadet ingenii puellarum ab omni humanitate

s. v. Φρύνιχος et Hesychius s. v. ἔγχαρτα Vid.  
NAUCK. TGF. p. 558. et WELCK. TG. p. 19.  
sq. Praeterea etiam Timesitheo tragoidiam eiusdem nominis attribuit Suidas s. v. Τυμησίθεος,  
de qua v. WELCK. TG. p. 1046. sq.

1) **Fab. CLXVIII.**

2) II. 19, 6: τὰ δὲ ζόανα ἀφροδίτης καὶ Έρμοῦ, τὸ μὲν Ἐπειοῦ λέγουσιν ἔργον εἶναι, τὸ δὲ Ὑπερμνήστρας ἀνάθημα. ταύτην γάρ τῶν θυγατέρων μόνην τὸ πρόσταγμα ὑπεριδοῦσαν ὑπῆγαγεν ἡ Δαναΐς ἐξ δικαιστήριου, τοῦ τε Λυγκέως οὐδὲ ἀχίνδυνον αὐτῷ τὴν σωτηρίαν ἥγούμενος, καὶ διτὶ τοῦ τολμήματος οὐδὲ μετασχοῦσα ταῖς ἀδελφαῖς καὶ τῷ βουλεύσαντι τὸ ὄνειδος ηὔξησε. Κροδεῖσα δὲ ἐν τοῖς ἀργεῖοις ἀποφεύγει τε καὶ

ἀφροδίτην ἐπὶ τῷδε ἀνέθηκε Νικηφόρον. Cf. etiam II, 20, 5; 21, 1.

3) Ita scilicet ordinem huius trilogiae probabiliter constituit GOD. HERMANNUS in Act. Societ. lit. Saxon. I. p. 121 = Aeschyl. Trag. I. p. 329 sqq. Cf. eiusdem Opusc. II. p. 319. sqq. Cuius ratio mihi firmioribus uti videtur fundamentis, quam WELCKERI, qui primum quidem Tril. Aesch. p. 390 sqq. Αἰγυπτίονς, Ιχέτιδας, Δαναΐδας, deinde TG. Mus. Rhen. Suppl. II, 1. p. 30; 48. not. 14. Ιχέτιδας, Αἰγυπτίονς, Δαναΐδας Danaidum trilogiam effecisse suspicatus est. Sed Αἰγυπτίονς iure expunxit HERMANNUS, de Supplicum autem atque Danaidum in trilogia et sede constat et sedis ordine, soli θαλαμοποιοὶ conjectuae debentur.

alieni descriptio efficacissima, qua sine dubio id spectavit poëta, ut auditor coeteris in partibus sibi esset accommodatior talibusque moribus tantam facinorum atrocitatem respondere intellegret.

Hoc tamen ipsum argumentum quomodo dithyrambo convenire dicendum sit, difficilior quaestio est. Οὐδὲν γὰρ πρὸς τὸν Διόνυσον<sup>1)</sup> clamitari audio. Nullo quidem negotio rem absolvit prompta illa et expedita nihil nesciendi doctrina Mauricii Schmidtii<sup>2)</sup>, qui Danaidum cum Dionysio coniunctionem nescio quam expiscatur a Pausania<sup>3)</sup>. Is tamen accurate inspectus rem, de qua agitur, ne verbo quidem attingit, sed de signo marmoreo, a Danai filiabus non Baccho, sed Veneri dicato, mentionem facit: ut redire videoas insignem illam, quam in eodem saepius<sup>4)</sup> notavimus, veterum monumenta ad libidinem suam corrumpendi temeritatem, cuius memorabile exemplum posuit universam istam de dithyramborum fabulis disputationem. Illud enim, ut a re proficiscar omnium certissima, plane non dissimulandum est, in historiis mythicis vere antiquis Bacchicae cum Danaidibus cognationis vestigia ea, unde ratio dithyrambi explicari possit, extare nulla. Inde igitur Melanippidis Danaidibus cum lux afferri nequeat, equidem non aliunde eam sperari posse arbitror, quam ex accurata argumentorum dithyrambicorum omnium et singulorum recensione. Eius autem re-censionis tanquam fundamentum quoddam nobis posuisse videmur in commentatione, quam ante hos quattuor annos de dithyramborum Graecorum argumentis scripsimus. In qua primum quidem, quod vulgo statuunt vernorum et hibernorum dithyramborum discrimen, mere ficticum esse ostendimus, deinde autem duo primaria genera dithyramborum, alterum genuinum et ex ipso Dionysiacaum fabellarum orbe desumptum, alterum adventicium et ex heroicis historiis arcessitum, significavimus. Ac simul prioris quidem generis argumenta in praedicandis dei aut natalibus aut passionibus constitisse diximus eamque sententiam dithyramborum indicibus caeterisque fragmentis confirmare studuimus. Solo de altero genere, liberiori illo et aliunde petito, quod post ascita Olymp. LXVIII. cycliorum chororum certamina in usum venisse coniecimus, in medio relicta erat, quamquam non penitus intacta, quaestio. Nam vulgarem quidem sententiam eorum, qui ἡρωικὰς ὑποθέσεις dithyrambis a Plutarcho<sup>5)</sup> vindicatas de univer-sa heroicarum historiarum farragine intellegi vellent, arguento ex ipsa Graecarum artium natura et indole petito refutandam duximus. Neque vero ii, qui de aliis praeter Dionysiacas fabulis loquuntur, perspicuam rei notionem animis informatam habere videbantur.

<sup>1)</sup> De hac formula cf. WELCKER. Addit. p. 277. not. 236.

<sup>2)</sup> Diatr. p. 214.

<sup>3)</sup> II, 37, 2: ἐτέρῳ δὲ ναῷ Διόνυσος Σαάτης καθήμενον ξύλον, καὶ Ἀφροδίτης ἄγαλμα ἐπὶ θαλάσσῃ λίθοι. ἀναθεῖναι δὲ αὐτὸν (i. e. τὸ Ἀφροδίτης ἄγαλμα) τὰς θυγατέρας λέγουσι τὰς Δαγασσούς. Alterum locum ex Euripidis Cyclope

v. 427. arreptum reiecta demum IS. CASAUBONI emendatione elegantissima praeiudicatae opinioni congruentem reddit. Vid. VALCKEN. ad Eurip. Phoen. p. 440, WELCKER. Addit. p. 218, KIRCHHOFF. ad Eurip. Cycl. I. l. Vol. II. pp. 237. 488.

<sup>4)</sup> Comm. Guben. Part. I. p. 3. sqq. Lignic. p. II.

<sup>5)</sup> De Mus. cap. 14. Morall. II. p. 1387a, 12 sq.

Omnino autem aliam expedienda quaestio rationem ineundam esse patuit, quae non a praeiudicatis quibusdam opinionibus, non a vagis distinctionibus, sed ab ipsis fabulis heroicis dithyrambico carmini accommodatis proficiisset. Ad recentum vocavi eas fabulas easque nunc uno obtutu conspiciendas proponam ita, ut indices quidem dithyramborum heroicorum, quotquot nancisci potui, percensem omnes, ex argumentis autem ea tantummodo delibem, unde de fabula carminis conici probabiliter possit. Illos discriminis caussa maiusculis, haec vulgaribus literis notabimus. Introduxit igitur in dithyrambum ex heroica historia Sphingem, Oedipodis, ut opinor, res continentem, Lasus<sup>2</sup>, Niobam idem Lasus<sup>3</sup> et Bacchylides<sup>4</sup>, MEMNONEM Simonides<sup>5</sup>, Geryonem Pindarus<sup>6</sup>, Philoctetam Bacchylides<sup>7</sup>, ACHILLEM Praxilla<sup>8</sup> itemque Melanippides<sup>9</sup> et Cinesias<sup>10</sup>, MELEAGRUM Cleomenes<sup>11</sup>, Antigonam et Ismenam Io<sup>12</sup>, MYSOS<sup>13</sup>, Telephi sine dubio historias complexos, et Heliades<sup>14</sup> Philoxenus, LAERTAM, NAUPLIUM, PHINIDAS Timotheus<sup>15</sup>, ARGO i. e. Argonautas Telestes<sup>16</sup>. En habes largissimam comparata fragmentorum pancitate copiam heroicorum, ut cum Plutarcho loquar, argumentorum: quae postquam tantas in dithyrambi historia tragoedias excitarunt, ipsa iam qualia sint tanquam digito videntur demonstrare. Quisquis enim paullo accuratius inspicerit poëseos Graecae materiam, statim heroicis illas dithyramborum fabulas non alias deprehendet, nisi quas Homero et Hesiodo ducibus nobilitarent epici, quas deinde lyrae attemperavit Stesichorus, quasque postremo ad immortalitatis memoriam consecravit tragoedia. Id ut apertius fieret, sua cuiusque fabulae initia et incrementa apud epicos indaganda

<sup>1)</sup> Natalis Comes Mythol. p. 1018: „Fuit autem Sphinx Echidnae Typhonisque filia, ut scribit Lasus Hermioneus.“ Praetermisit locum BERGKIU, primus indicavit M. SCHMIDTIUS Philol. XVIII, 2, 1861, p. 227.

<sup>a)</sup> Aelianus VV. HH. XII, 36 = BERGK. 3, p. 846.

<sup>2)</sup> Servius ad Virg. Aen. VI, 21 = BERGK. 18, p. 825.

<sup>3)</sup> Strabo XV. p. 728 B = BERGK. 35 (41) p. 757.

<sup>4)</sup> Aristid. II. p. 70. DIND. = BERGK. 50 p. 230. Antea autem idem argumentum tractaverat Stesichorus in Geryoneide, cuius fragmenta vid. ap. BERGK. p. 636. sqq.

<sup>5)</sup> Schol. Pind. Pyth. I, 100. p. 305. BOECKH.

<sup>6)</sup> Hephaestio p. 22, CRAMERI Anecd. T. IV. p. 326, 20, Draco Straton. p. 146. = BERGK. 2, p. 818.

<sup>7)</sup> Cf. p. 8 not. 5. et sq.

<sup>8)</sup> Athenaeus XII. p. 551. D. = BERGK. 1.

p. 850. Uterque tamen, et Melanippides et Cinesias, de Achille fabulam cognomini dithyrambo universam tractarit, an per ἀναβολής licentiam aliis indicis dithyrambo interpositam obiter tantum attigerit, incertum est.

<sup>9)</sup> Athenaeus IX. p. 402 A. = BERGK. p. 847.

<sup>10)</sup> Aristophanes Grammaticus in Argum. Soph. Antig. = BERGK. 14. p. 430.

<sup>11)</sup> Aristoteles Polit. VIII, 7 p. 1342b, 7 sqq., ubi pro μύθοις ΜΥΣΟΥΣ legendum esse vidit I. G. GHNEIDERUS, cuius emendationem probarunt CAR. GOETTLINGIUS, CORAES, AD. STAHIUS, L. A. BERGLENIUS, M. SCHMIDTIUS, tuente vulgatam lectionem IMM. BEKKERO.

<sup>12)</sup> Plinius N. H. XXXVII, 2, II, unde Philoxenum fabulam de Heliadibus tractasse manifestum est.

<sup>13)</sup> Suidas s. v. Τηρόθεος.

<sup>14)</sup> Athenaeus XIV. p. 616 F. = BERGK. 1. p. 864.

et per lyricam atque tragicam poësim persequenda duximus. Qua quidem de quaestione excerpta sunt ea, quae supra de fabula Melanippidis **DANAIDIBUS** subiecta disputavimus. Eodem autem modo etiam reliquas historias dithyramborum indicibus et argumentis consentaneas examinavimus eaque via, ut mihi quidem videtur, certissima ad sententiam illam, quam supra proposimus, deducti sumus. Taedet autem hoc loco expromere universum huius disquisitionis apparatus, quem alias potius redeunte fortasse eadem scribendi necessitate proponemus. Interim tamen suscepti laboris fructum significare iuvat, qui est talis profecto, ut iam finem faciendum esse appareat quaerendae in quovis argomento dithyrambico Bacchicae cognationis. Intelligitur enim vel ex recensu indicum et argumentorum supra concinnato, iam antiquiorum, ut Lasi, ut Simonidis, ut Piadari, non demum recentiorum poëtarum, ut vulgo existimant, dithyrambum e fabularum mere Dionysiacarum finibus egressum nova aliunde argumenta appetisse, a Bacchica necessitudine prorsus aliena, in iisque tractandis imprimis sibi placuisse. Neque tamen eam libertatem, quae rursus aliorum opinio est, omni carnisse temperamento, e peculiari singularum fabularum dithyrambis tractatarum ratione, quam paullo ante delineavimus, cognosci potest. Nam non fabulas heroicas ad unam omnes neque eas nullo delectu admixtas invenimus, sed quas Homeri **Musa Hesiodique** et cyclicorum poëtarum celebrarat succinente Stesichori lyra, eas atque eas solas ad cyclias choreas a dithyramborum artificibus instructas vidimus. Praeesse igitur in hoc genere dithyrambus putandus est tragoediae, quae, postquam promanavit e dithyrambo, hunc deinde argumenta arripuit amplificavit excoluit, simul ut et imitatrix dithyrambi et heres dici possit. Quae res cum sine dubio accuratius posset demonstrari, nisi nimis obscurata ad nos pervenisset dithyramborum memoria, nunc solis Niobae Sphingisque Laso ascriptarum exemplis constat, quoniam has quoque fortasse aetate superat **Thecidis Icariensis** tragoedia<sup>1)</sup>. Nihil vero opus est Lasi testimonio, si quidem e brevibus dithyramborum fabulis (*ἐκ μυροῦ μύθων*) tragoediae primordia deducit locupletissimus auctor Aristoteles<sup>2)</sup>. Post cum originis suae oblita novos spiritus sumere coepisset tragoedia, inversa est rei ratio, neque dithyrambus tragoediae, sed tragoedia praelusit dithyrambo: proinde ut nobis, seris interpretibus, iam non ex dithyrambo tragoedia, sed contra e tragicorum fabulis suum cuiusque dithyrambi sit ernendum argumentum, quidque eo in genere conveniat dithyrambo, quid non, e tragoedia usu patescat certissime. Quam ob rem non solum in explicandis Melanippidis **DANAIDIBUS**, sed in caeteris quoque, quorum supra indicem constitui, dithyrambis praeter ipsos argumentorum fontes, ex epica poësi largiter profluentes, in partes vocavi etiam tragicorum poëtarum fabulas, ut quas solas aliquid valere viderem ad illustrandam dithyrambicorum inventionem. Atque hoc profecto tragicae poëses praesidium in tantis rerum dithyrambicarum tenebris unum idoneum lucis fontem

<sup>1)</sup> Vid. not. nostram ad **IOS. SCALIGERI** | **LXI**, I. n. 217.  
Olymp. Recens. Olymp. LVIII, I. n. 198 et | <sup>2)</sup> Poët. 4. p. 1449<sup>a</sup>, 19.

omnisque certioris de tractandi ratione iudicii fundamentum esse cognovi. Itaque quae plerique Plutarcho auctore *heroica* appellant argumenta, alii, veluti Gr. Nitzschius I. l. p. 504, *epica*, ea accuratiori nomine, quamquam barbarorum more conflato, *epicotragica* vocaveris.

Superest, ut de choro dicatur **DANAIDUM**. Videtur autem, qui dithyrambi, idem index esse chorū, quemadmodum etiam in fabularum tragicarum indicibus nomina pluralia, veluti *ΙΚΕΤΙΔΕΣ ΔΑΝΑΙΔΕΣ*<sup>1)</sup> alia, chorū solent significare. Neque parum eam opinionem adiuvat Danaidum numerus, egregie ille conveniens in numerum cylitorum chorentarum. Atque is ipse concentus nescio an in primis inviterit Melanippidem ad eligendam fabulam. Sed de hac re aliis erit dicendi locus. Nunc in viam redeo. Ac de choro quidem cyclo quinquaginta saltatores complexo nota sunt *omnia*<sup>2)</sup>. Neque minor de quinquagenario Danaidum numero una veterum inde ab Aeschylo consensio est, si quidem ab illo in *Supplicibus*<sup>3)</sup> Aegyptus vocatur πεντηχοντάπαις, Aegyptiadarum autem sponsae singuntur Danai filiae. Amplexus est Aeschylum Euripides in *Archelao*<sup>4)</sup>, secutique sunt mythographi et Scholiastae tum Graeci, veluti Apollodorus<sup>5)</sup>, Libanius<sup>6)</sup>, Scholiasta Euripidis<sup>7)</sup>, tum Latini, ut Hyginus<sup>8)</sup> et Servius<sup>9)</sup>. In tanta prolixis multitudine cuius rei indicium lateat, neque operae pretium est quaerere post L. Prellerum<sup>10)</sup> et ab hoc loco alienum. Nobis ea chori inveniendi ansa fuit. Neque enim audiendus est I. A. Hartungius<sup>11)</sup>, cuius haec mirifica animadversio est: „Die Danaiden traten in dem gleichnamigen Dithyrambos nicht als Chor auf, sondern es wurde von ihnen erzählt als unweiblichen Amazonen.“ Nimis offendisse videtur virum doctum tertia persona, qua decurrent versus Melanippidis. Verum non reputavit idem, inde a Melanippidis temporibus atque ipso auctore Melanippide dithyrambos non iam, ut olim, a choreutis, sed ab ipsis artificibus solitos esse decantari: qua de re dixi pag. 2. Cae terum, ut supra indicavi, iam ante Melanippidem Danaides non solum in *Supplicibus*, verum etiam in *cognomini* fabula in orchestram deduxerat Aeschylus<sup>12)</sup>.

Scribent. Ratiboriae Silesiorum a. d. XVI. Kal. Mart. a. h. s. LXVI.

<sup>1)</sup> Legem usus tragici suis terminis circum scribit WELCKER. Tril. Aesch. p. 495. TG. in Mus. Rhen. Suppl. II, 1. p. 71.

<sup>2)</sup> Vid. Simonidis Fr. 148, 4 p. 789. Reliquos locos collegit SCMIDIUS Diatr. p. 230.

<sup>3)</sup> V. 306. HERM.

<sup>4)</sup> Ap. Tiberium περὶ σχημάτων in CHR. WALZII Rhett. Gr. Vol. VIII p. 577, 10:  
Δαναίδες ὦ πεντήχοντα θυγατέρων πατήρ,  
cuius versus frequens apud veteres memoria est.  
Vid. NAUCK. TGF. n. 230. p. 340.

<sup>5)</sup> II, 1, 4—Schol. Hom. ad Iliad. A, 42. p. 6b, 23.

<sup>6)</sup> Narr. 22. p. 1106. (in A. WESTERMANNI Mythogr. Gr. Append. XVIII. p 366).

<sup>7)</sup> Ad Hecub. v. 868. Vol. IV. p. 201. et ad Orest. v. 859. p. 428.

<sup>8)</sup> Fabb. CLXVIII et CLXX.

<sup>9)</sup> Ad Virg. Aen. X, 497.

<sup>10)</sup> Mythol. Gr. Vol. II. p. 33. sqq.

<sup>11)</sup> LG. Vol. IV. p. 214.

<sup>12)</sup> Vid. GOD. HERMANN. Opusec. II. p. 324.